

APPENDIX.

39

fuerunt clausi primo portus Venetis per Dominum Patriarcham in suo districtu, & per Paduanos & Tarvisinos in suis.

Et eodem anno die XI. intrante Julio, in Civitate in Colloquio generali per Dominum Patriarcham, praefatos Liberos, & Ministeriales, & Communitates Forijulii, electi fuerunt XXIV. videlicet sex pro Clero, sex pro Liberis, sex pro Ministerialibus, & sex pro Communitatibus, ut quidquid per illos tractaretur super facto dictae guerræ & pacis, attenderetur & observaretur. Qui ordinaverunt tunc die castina, quod pro guerra facienda, & defensione, honore, & bono statu Ecclesiæ Aquileiensis, & fautorum ejus, de quolibet Manfo omnium indifferenter solvi debere XX. solidos, & stabilitum fuit, ac solutum. Quæ guerra concordata fuit, & proclamata fuit pax in Civitate: & quod omnes irent securi Venetias, & quo vellent, anno Domini M. CC. LXXXV.

Anno Domini M. CC. LXXXIV. die Jovis exente Januario, quidam Fratres Minores, circa sex, vel plures, convenierunt Civitatem, qui extra Civitatem morabantur apud Ecclesiam S. Francisci. Venerunt in Civitatem ad habitandum in domo & curia D. Wodolrici Cadubrini Praepositi Carnæ, quam emerunt ab eo Priorissa Sandrina, & Sorores S. Petri de Poloneto, habitantes apud S. Pantaleonem. Pro qua domo & curia, & etiam non pauca pecunia per ipsas Sorores dictis Fratribus percipienda, eisdem Sorores emerunt pro se ad habendum Ecclesiam dictorum Fratrum, ubi tunc morabantur apud S. Franciscum, de consensu D. Raimundi Patriarchæ.

Anno Domini M. CC. LXXXIV. die IV. Junii, praesentibus Venerabilibus Dominis, Fulchero de Zucula Concordiensi, Wlmino Tergestino, & Petrenensi Episcopis, & aliis quampluribus, Rey Pater & D.D. Raymundus, Dei gratia Aquileiensis Patriarcha, dedit habitum regulæ S. Clarae Dominae Priorissæ Sandrinæ, & aliis Consororibus, alias de dicto Poloneto, & eas & ipsas primo inclusit ibidem.

Anno Domini M. CC. LXXXV. de mense Augusti, incepit Commune Civitatis facere salizare Terram Civitatis cum datio Civitatis.

Anno Domini M. CC. LXXXV. in Festo omnium Sanctorum, Domini Johannes de Zucula, & Franciscus de Orzono facti sunt Milites per D. Albertum Comitem Goriciæ apud Civitatem in prato juxta Sinirolam. Cui militæ interfuerunt Domini, Frixinensis, Feltrensis, & Concordiensis Episcopi, Gerardus de Camino, de Prata, de Porcileis, Castello, Villastra, Glemona, Utino, Prampergo, Cucanea, & quampluribus aliis: duravitque ipsa curia per dies octo.

Anno Domini M. CC. LXXXVII. die VIII. intrante Junio, ivit Ven. Pater Raymundus Patriarcha de Civitate Montemfalconum; ubi eodem die convenit ad eum maxima multitudo militum, equorum, & peditum de toto Forojulii, de Carnea, & Cadubrio: ita quod a 18. annis supra usque ad 70. annum omnes praescripti fuerint, præter servos & homines ministerii. De villis vero X. miserunt ad dictum unum peditem. Convenit autem in dicto exercitu Dominus Comes Goriciæ cum sua gente: & Dux Carinthiæ, & Comes Tyroli misit in auxilium Domini Comitis Goriciæ fratris sui, & Ecclesiæ Aquileiensis Ven. Patrem Domum. cum maxima multitudine peditum & equitum.

Anno Domini M. CC. LXXXVIII. die XIX. Februarii, D. Raymundus Patriarcha investivit Magnificum Virum D. Maynardum Ducem Carinthiæ

de Venzono ad rectum & legale feudum Ecclesiæ Aquileiensis.

Anno Domini M. CC. XCII. (a) Alsubetta, neptis Dominæ Lucardis, fecit sibi fieri heremitorum apud S. Stephanum: & inclusa fuit ibi per Magistrum Julianum Thesaurarium, in Festo Assumptionis.

Anno Domini M. CC. LXXXIX. Ven. Vir D. Raymundus Patriarcha in Festo B. Marci, Aquilegia exivit cum sua gente, & ivit versus Montemfalconem, causa eundi ad exercitum in Istriam. Eodem die venit ad eum Dominus Comes Goriciæ cum sua gente, necnon omnes de toto Forojulii a 18. annis supra, & a 70. infra: in cujus subsidium & juvamen misit etiam Dux Karinthiæ magnam multitudinem hominum. Omnibus vero congregatis, ibidem Dominus Albertus Comes Goriciæ, de consensu & voluntate Domini Patriarchæ, fecit Milites Dominos Henricum de Prampergo, & Nicolaum filium Baldachi de Civitate in campanea. Omnibus vero peractis, ordinata fuerunt acies equitum per se, & peditum per se: necnon Rectores cuiuslibet aciei. Et reperti fuerunt in summa in toto exercitu quinque milia Milites, & L. milia pedites. Et moto inde exercitu, iverunt omnes versus Terram, quam Veneti fecerant: & ibi per multos dies steterunt, & saepe cum ballistis nocebant sibi inter se; & interdum faciebant treguas inter se, si possent concordari; & nostri intrabant Terram Venetorum, & ipsi Veneti in exercitu nostrorum. Hoc facto, una die Dominus Comes Goriciæ, ignorantem Dominum Patriarcha, & absque voluntate ipsius, recessit de dicto exercitu: & tunc Dominus Patriarcha, habito consilio Sapientum, recessit universaliter cum omnibus de dicto exercitu; quia dicebatur, ut ipse Dominus Comes vellet prodere exercitum, & ipsum Dominum Patriarcham. Deinde celebratum fuit Colloquium Generale in Civitate, ut Tergestini in almoniis subvenirentur. Cui colloquio interfuerunt Domini Episcopi Tergestinus, & Concordiensis, & Comes Goriciæ, & omnes Nobiles de toto Forojulii: in quo Colloquio statutum & ordinatum fuit, quod omnes de Civitatibus, Castris, Burgis, & Villis a 18. annis supra, & 70. infra, ire deberent ad exercitum prælibatum. Qui Dominus Patriarcha ivit versus Montemfalconum: & ipso die venit ad eum Henricus, filius Comitis Goriciæ, cum sua gente, & magna multitudine de toto Forojulii: & moverunt, causa eundi Tergestum, cum curribus & asinis multis deferentibus victualia. Et ita ipsis euntibus, per stratum faciebant strepitum & ruforem ultra modum, & in nocte ignes copiolos per montes, quia frigus erat. Veneti, qui erant in Civitate illa ante Tergestum, cui imposuerant nomen Romagna, audierunt rumorem magnum & strepitum a longe, quem exercitus faciebat, timuerunt timore magno; credendo, quod exercitus esset major, quam fuerat prius, & erat satis minor. Qui omnes naves intraverunt, qui potuerunt: & multi in aqua submersi fuerunt præ nimia festinatione; quod nec pater filium, nec filius patrem expectabat. Et ita fugerunt, dimisis illic multis bonis; quæ omnia quasi Tergestini accepserunt, quia nostri multum distabant, quando illi fugerunt.

Anno Domini M. CC. XCI. in Festo S. Martini proclamata fuit pax in Civitate Austria inter Dominum Patriarcham & Forojulienses ex parte una, & Venetos ex altera, sub certis pactis & articulis.

Anno

(a) Sic in Codice.

Se Leoniæ sancti Stephan.

*De terra Tote cum Venetis
Cives Milites subcep.
b. 1. 39.*

Quia